

*De regimine Martis.**Cap. XXII.*

**C**V M Martis solutio nimium inuenia-  
tur difficultis, apud quam plures mo-  
dos, & diuersa etiam alia experimenta  
per nos facta, in fine huius libri per tracta-  
bimus. Sint ergo Martis pastæ libræ duæ,  
Veneris libræ quatuor, Saturni libræ qua-  
tuor, misceantur sine fermento: & coque  
per septem dies, & inuenies totum siccum:  
fige, & pone cum medietate eius litargirij  
triti, & commixti simul in reductorio, & in-  
uenies corpus mirabile, & multum utile, si  
ea sapias, quæ pertractauimus saepè.

*De regimine Lunæ.**Cap. XXIII.*

**R**egimen Lunæ est, vt reducatur de mi-  
nera sua ad nobilius, & hoc est, vt dis-  
soluas eam, de qua accipe libras tres,  
Veneris dissolutæ libras quatuor, fermenti  
dissoluti libram unam, coniunge aquas, co-  
que per septem dies cum lento igne, in O-  
robo clauso, vt in Marte cum tota aqua sua:  
deinde fortifica ignem paulatim per alios se-  
ptem dies, & sit quasi sublimationis. Sed per  
alios septem dies da illi parùm fortiorem i-  
gneum, vt figatur tota aqua cum eo, quem  
puluere in pauca quantitate reduc, & si re-

Bb 3